



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 24. Lauretana Domus à Nicolao V. Indul gentijs augetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

victoria milite; materiam auaritiæ subtrahere occupat: & præcipua Lauretani templi ornamenta clam in nauim ad id paratam imposita secum propere Venetias primum, inde Rauennam asportat. ita, & sacrilegij materies subducta, & sacra dona in tutum recepta; ac deinde sedata illa tempestate, reportata. Nec dubium Deiparæ præsidium per ea tempora in Aede Lauretana tuenda apparuit. Nā cum diuturno, grauique bello tot exercitus Sfortiæ, Pontificis, Alphonfi Regis Neapolitani toto Piceno impune volitarent, tot copiarum Ducēs Lauretum accederent; tamen in direptione tot oppidorum, atque vrbium, vicus immunitus, templi opulentiā, vt tum res erant, inclytus, semper intactus, inuiolatusque permansit: tanta seu loci sanctitas apud homines, seu Virginis tutela rerum suarum fuit,

*Lauretana Domus à Nicolao V. Indulgentijs  
augetur, contra vim Turcarum mu-  
nitur. Cap. XXIV.*

**N**icolaus inde Quintus Eugenio mortuo, Pontificatū excepit, qui ne à Martino in B. Mariæ cultu vinceretur, Lauretanam eius cellam Pontificijs muneribus auxit. Videbat diem B. Virgini ab Angelo salutatæ sacrum maximè insignem illi Domui, ac memorabilem esse; quippe cum Deus eo ipso die inibi naturam humanam induisset. Lætissimam ergo illam lucem, qua iacta sunt fundamenta salutis humanæ, anniuersaria Indulgentia decorauit. Ex quo templum Lauretanum, vt tanti mysterij memoria dignum erat, quotannis illo die eximie celebrari est cœptum. Porrò Nicolaus Lauretana Aede Indulgentijs cohonestata, opulentiæ quoque ædis consulendum putauit. Igitur magnopere cauit, ne Lauretana dona auerterentur, neue diuenderentur, arcens ingressu Eccle-

Nicolai V.  
Benef.

Hier. Aug.

Callisti III.  
Benef.

fiæ



sia Antistitem Recinetensem; si quid eorum in posterum  
 distrahere, aliosue in vsus conuertere ausus foret, sin au-  
 tem vendita iam, ac distracta intra viuis mensis spatium,  
 non recuperaret, Episcopatu deiciens. Ciuitati insuper  
 Recinetensi eodem diplomate negocium datum, vel re-  
 cuperandi Lauretana dona, vel tuendi. Nec pace solum,  
 sed bellico etiam tumultu, insignis Nicolai Pontificis pie-  
 tas in Lauretanam sedem enituit. Sub id tempus Maho-  
 metes Turcarum Rex Constantino Palæologo Orientis  
 Imperatore cæso, Constantinopoli vi capta, fædeque di-  
 repta, Turcici sedem imperij transtulit in Europam, anno  
 post Christum natum M. CCCC. LII. Ergo, vt Cō-  
 stantinopolim Christiani Imperij arcem à barbaris captā,  
 Imperatorem ipsum cum nobilitate cæsum, Turcarum Re-  
 gem tanta victoria inflatum ex propinquo insultare Græ-  
 ciæ, minitari exitium Italiæ fama tulit; enimvero tantus  
 Christianis viribus terror incessit, vt tota Italia trepida-  
 tum sit. Itaque Nicolaus satis memor Aedis Lauretanæ,  
 eam aduersum barbarorum excursions satis firmo præsi-  
 dio munit: & simul in hostem omnibus viribus consurge-  
 re parat eius rabiem compressurus.

S. Anto. p. 3.

Constanti-  
nopolis à  
Turcis cap-  
ta.

*A Callisto III. aduersus Turcas comuunita Domus,  
barbaros alio vertit ingenti clade percussos.*

*Cap. XXV.*

S. Anto. p. 3  
Plat. Callist.  
III.

Callisti III  
beneficia.

**C**Aeterum Nicolao in ipso apparatu, ac meditatione  
 Turcici belli ex moerore, vt ferunt, extincto succes-  
 sit Callistus Tertius. Is, quia fama erat, Turcas victoria  
 vsos magna Peloponnesi, Epirique parte in suam ditionē  
 redacta, in Dalmatiam, atque in ipsam Italiam furore ac  
 rabie instinctos rapi; nihil habuit antiquius, quam vt Lau-  
 retanam Domum tutaretur, haud dubius quin illa salua,  
 Deiparæ præsidio cætera in Italia salua essent futura. Igi-  
 tur